Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 687

Quelle:
Copyright:

cujus T. III. *col.* 160. ſi lubet, adi.

CCXIX. VI. F. 10

394 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 57. 4. nitide ſcriptus, titulis omnibus miniatis, olimque pertinens *ad Librariam Capituli Eccleſie Ratiſponenſis* complectitur: I. D. *Auguſtini Libros II. Retractationum* praemiſſo *Capp.* Elencho eodem prorſus, quem praeferunt Editi T. I. *Opp. Pariſ.* 1689. *Incipit. Liber. Primus. Jam diu eſt vt facere cogito atque diſpono quod nunc adiuuante domino adgredior* &c. Finis Operis: *alios a me dictos retractare cepiſſem.* Adcuratio Scriptoris eſt infra calami elegantiam.

II. *fol.* 46. p. 2. *Incipit eiusdem epiſtola ad optatum epiſcopum.* Initium: *Domno beatiſſimo et ſincera dilectione deſiderabili fratri et coepiſcopo obtato in domino ſalutem. Quamuis tuę ſanctitatis nullas ad me ipſum datas acceperim litteras* &c. Agit de Origine Animae, et eſt in *Edit. ſuprac.* T. II. *col.* 700. *Epiſtola* CXC. Integra in *Cod.* Textusque ſat caſtigatus.

III. *fol.* 52. p. 2. *Incipit ejusdem Sancti Auguſtini Liber de Diuinatione Dęmonum.* Initium: *Quodam die in diebus ſanctis octauarum cum mane apud me adeſſent multi laici chriſtiani* &c. Legitur T. VI. *col.* 505. correctius. Finis: *quantum dominus adiuuat reſpondebimus.*

IV. *fol. ult.* p. 2. *Incipit queſtio de magis faraonis eiusdem ſancti auguſtini.* Tractat *Auguſtinus* differentiam Poteſtatis Sanctorum et Magorum in edendis Miraculis in *Lib. de diverſ. Quaeſtionibus LXXXIII. Quaeſt.* 79. T. VI. *col.* 69. Sed ibi verba *Codicis* non invenio, quamvis ſententia concordet. Videtur igitur quispiam mentem tantum *Auguſtini* adnotare et exponere voluiſſe in hunc modum: *Non oportet moueri cum magicis artibus miracula fiunt* &c. Lineas 16. non excedit haec Adnotatio.

CCXX. VI. C. 13

Codex membraneus lat. Sec. 139
XI. Folior. 149. f. per duas columnas eleganter ſcriptus, rubricis diſtinctus, bonaeque notae comprehendit *S. Auguſtini* Hipponenſis Ep. *Confeſſionum Libros* XIII. hoc titulo literis quadratis minio exarato: *Incipiunt Libri Confeſſionum Aurelii Auguſtini.* Initium eodem ſcripturae genere: *Magnus es Domine et laudabilis ualde. Magna uirtus tua* &c. Finis Libri I. *quia et ut ſim tu dediſti michi. Explicit Liber Primus Confeſſionum. Incipit liber Secundus.* Et ſic initia, clauſulaeque Librorum per totum charactere quadro. Lectio ſincera et plerumque cum *Mauriana* edit. *Opp. Auguſtini* T. I. *Pariſ.* 1689. *col.* 69. conſpirans; loco tamen illo vexato L. VIII. c. 3. col. 146. ubi *Mauriana* Codices *Anglicos* ſecuta habet: *inſpirabat populo*